II.

REGVLARIS figura dicitur ea, quæ & æquilatera, & æquiangula est.

III.

CENTRVM figuræ regularis dicitur punctum illud, quod centrum est circuli figuræ inscripti, vel circumscripti.

IIII.

AREA cuiuslibet figuræ dicitur capacitas, spatium siue superficies intra latera ipsius comprehensa.

V.

OMNE solidum rectangulum (cuius nimirum bases æquidistantes sunt, & æquales, lateraque ad bases recta, quale est Parallelepipedum) contineri dicitur sub altera basium, ac perpendiculari ab illa basi ad alteram protracta.

QVIA nimirum alterutra basium indicat longitudinem ac latitudinem figuræ, perpendicularis verò altitudinem, siue profunditatem eiusdem demonstrat.

THEOR. 1. PROPOS. 1.

Triangulum quodcunque cui rectangulo æquale sit.

AREA cuiuslibet trianguli æqualis est rectangulo comprehenso sub perpendiculari à vertice ad basim protracta, & dimidia parte basis. Item rectangulo comprehenso sub semisse perpendicularis, & tota base. Vel denique semissi rectanguli sub tota perpendiculari, & tota base comprehensi.

a 41. primi.
b 36. primi.

SIT triangulum ABC, ex cuius vertice A, ad basim BC, ducatur perpendicularis AD, diuidatque primò basim BC, bifariam, vt in prima figura. Per A, ducatur EAF, in vtramque partem æquidistans rectæ BC, compleaturque rectangulum BEFC, a quod erit duplum trianguli ABC; b Item duplum rectanguli ADBE. Quare rectangulum ADBE, quod nimirum continetur sub perpendiculari AD, & dimidio basis BD, æquale est triangulo ABC, diuidat secundo perpendicularis AD, basim BC, non bifariam, vel etiã cadat in basim CB, protractam, vt in 2. & 3. figura; Et per A, ducatur rursus AF, in vtramq; partẽ æquidistãs rectę BC, compleaturq; rectangulũ ADCF. Diuisa deinde base BC, bifariã in G, ducantur

rectæ